

Dissertatio inauguralis medica, ce usu venaesectionis in paroxysmo calculi renalis / Quam ... praeside ... Michaelae Alberti ... anno MDCCXXXIV ... subjicit auctor et respondens Wolfgang Conrad Carmon.

Contributors

Carmon, Wolfgang Conrad, -1780.
Alberti, Michael, 1682-1757
Universität Halle-Wittenberg

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joh. Christiani Hendelii, [1734?]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ng5geyqx>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
U S U
VENÆSECTIONIS
IN
PAROXYSMO CALCULI RENALIS,

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO,
Consensu atque Auctoritate Gratiſſæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
P R Æ S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE
PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,
Domino Patrono ac Promotore ſuo, omni honoris cultu proſequendo,

PRO LICENTIA
MORE MAJORUM RITE CAPESSENDO
ANNO MDCCXXXIV. D. NOVEMBR.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERVDITORUM VENTILATIONI SUBJICIT
AUCTOR ET RESPONDENS

WOLFGANG CONRAD CARMON,
HAGENOVIO - MECLEBURGICUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



I. N. Ʒ.

§. I.

Venæsectio est artificiosa vasis
cujusdam sanguiferi, non pulsantis, in-
cisio, per instrumentum chirurgicum
pro evacuando sanguine, *præcipue* super-
fluo, facta.

§. II.

Quod sub titulo sanguinis intelligatur, omni-
bus satis notum est. Peccat vero iste in nostro cor-
pore si vel tantum abundat, vel simul in crassi male
constitutus est, vel etiam motum præternaturalem
subit.

§. III.

Ordinatur itaque Venæsectio non solum ob mo-
do dictam causam (§. I.) a Medicis Practicis sed & in-
terdum revellendi, interdum ventilandi & derivan-
di fine ab istis in usum trahitur.

§. IV.

Revulsio est evacuatio humoris parati fluere vel fluentis ad partes *remotas* aut (*distantes*). Ventilatio est moderata humorum *imminutoria* evacuatio, ad impetrandum majus spatium. Evacuatio vero sive reductio humoris fluentis ex parte vicina, derivatio audit. *Vid. Lucit. de Venæsect. cap. 13. art. I. p. 174.*

§. V.

Hi Venæsectionis modi (§. 3) licet ob diversos effectus diversa cœpere nomina, omnes tamen in hoc tertio conveniunt, quod per evacuationem sanguinis, vasis admodum repletis, majus concedatur spatium.

§. VI.

Effectus itaque Venæsectionis primarii (si nempe ob nimiam turgescientiam & plethoram instituitur) sunt 1) Vasorum constrictio major, 2) Motus sanguinis progressivus celerior, 3) motus intestini resolutorii augmentum, 4) Secretio & exeretio copiosior, 5) major Spirituum fluxus & vigor, 6) Calor auctus, 7) Seri cum reliquis commixtis dissipatio major &c. Qui tamen effectus omnes, si dictæ conditiones (§. I. & VI.) non adsunt, inverso modo sese habent.

§. VII.

Ex his igitur patet, an, & in quibus morbis a Medico perito, secundum methodum rationalem cum effectū salutari Venæsectio possit adhiberi. Et quanquam probe sciam, permultos practitorum ab hac

hac absque ratione sufficienti (ut mihi videtur) penitus abhorrere ; attamen de præsentī ejus legitimum usum circa paroxysmos calculi renalis considerare, nobis consultum fuit. Faxit D. T. O. M. ut omnia succedant feliciter.

§. VIII.

Antequam vero ulterioris tractationis labores suscipio ; de renum structura mechanica atque horum proprio usu, pauca proferre, pro non inutili duxi. Sunt vero renes, secundum anatomicorum descriptionem, duo viscera rubicunda, phaseoli figuram repræsentantia, utrinque in lumbis sita, in quovis latere unus, quorum concava pars introrsum, convexa vero extrorsum prospicit.

§. IX.

De renum vera substantia, adhuc inter Anatomicos lis est, an sit glandulosa, an vero vasculosa. Injectiones enim Ruyschianæ probare videntur, externam renum superficiem esse vasculosam, quæ vascula dum ad interiora magis pervenere in sphæru-
las abeunt. Alii cum Malpighio glandulosam istis tribuunt substantiam. Cum vero adhuc demonstrari non possit, hæc Sphæru-
las, an magis pro glandulis, an vero pro sacculis vel penicillis succosis, esse habendas (etsi duce experientia sciamus, in istis secretionem fieri) etiam his assentire mallet, qui cum Ruyschio substantiam renum vasculosam statuunt. *vid. Ruysch. Thes. anatom. III. Tab. IV. Fig. 2. 3.*

§. X.

Observatur cæterum renum substantia præ reliquis visceribus (excepto hepate) notabiliter densa, id quod de fibrarum atque vasorum gravitate specifica manifesto testatur, ne dicam, pelvim, præprimis ibi, ubi papillæ tubulorum ita dictorum secretoriorum Bellini in istud hiant, maxima gaudere gravitate specifica.

§. XI.

Cum itaque renum substantia vasculosa sit, (§. IX.) hæc vasa vero junctim sumpta, multo majoris sint capacitatis, ac ramus iste ex quo oriuntur, sequitur quoque, motum sanguinis in his multo tardiores esse, ac in arteria emulgente, ex qua sanguinem recepere.

§. XII.

Ex physiologicis porro constat, in omnibus tantum istis visceribus, in quibus notabilis secretio humoris cujusdam fit, motum sanguinis retardari, istaque vasa, quamprimum istud ingrediuntur, in permulta admodum vasa minima, mirabiliter flexa, subdividi, ex quibus & § X. dictis probabile fit, in renibus quoque secretionem fluidi cujusdam fieri,

§. XIII.

Ufus itaque renum erit secernere fluidum quoddam, sero specificè gravius, & particulis salinis mediis, tartareis, sulphureis, terreis, pinguibus, aquosis atque spirituosis constans.

§. XIV.

§. XIV.

Hæc Urinæ compositio (§. XIII.) non solum ex chymicis demonstrari potest, sed etiam ex heterogeneitate ipsius fluidi, ex quo secernitur, elucescit. Constat enim nostra massa sanguinea ex salibus alcalicis, acidis, mediis, sulphureis, terreis, atque aquosis, uti id Hombergius (memoire de l'Academie Royale de Science d'Anno 1712.) egregiis experimentis satis probavit, quæ porro particulæ, quo magis per motum sanguinis progressivum auctum in se invicem agere coguntur, eo copiosius una cum fluido, cui inhærent, tanquam magis resolutæ, se & excernuntur.

§. XV.

Uti vero omnes se & excretiones nostri corporis, istum habent gradum eamque proportionem, ut inde, una cum crassi sanguinis, solidorum tonus conservetur; sequitur quamprimum, per quascunque causas non - vel præternaturales hæ actiones in corpore vitiantur, urinæ secretionem quoque non solum quoad quantitatem, sed etiam potissimum quoad qualitatem mutari, id quod absque notabili corporis detrimento fieri haud potest.

§. XVI.

Proximum ergo atque gravissimum ex læsa urinæ secretionem malum proveniens, præ reliquis erit calculi generatio. Est vero calculus successiva perticularum tartarearum, terrestrium atque salinarum

narum omni generis, viscido inhærentium subfidentia & coalitus, pro ratione temporis in lapideum denique concretum, modo regulari, modo irregulari, & quasi aculeata figura promanans.

§. XVII.

Tam de calculi natura, quam ejus proximo generationis modo, diversorum Auctorum, diversæ sunt opiniones; etenim alii ex tartaro sanguinis; alii sanguine congrumato vel exsiccato, & mere particulis terrestribus; alii vero ex sale quodam volatili istum constare putant, atque modum generationis modo in Spiritu quodam lapidifico, modo in viscido conglutinante & acido coagulante quærunt. Ego vero istis magis assentio, qui ejus naturam in salibus omni generis tam fixis quam volatilibus, quoad maximam partem tamen ammoniacalibus, terræ inhærentibus, atque modum generationis in solutione terræ his salibus impregnatæ, ab acido inducta, & adhæsione ad parietes vasorum viscido obductorum quærunt.

§. XVIII.

Hic generationis modus, clarius ut pateat, consideremus 1) salia alcalica omni generis cum acido affuso ebullire, quæ ebullitio de transitu salis alcalici in acidum & unione cum hoc manifesto testatur; 2) terreas partes ab acido promptissime solvi; 3) solutæ vero & cum acidis unitæ, in fluido, cui antea innatabant, una cum alcalicis & sulphureis

reis commixtis subsidere; Propulsæ vero per progressivum sanguinis motum, non solum cum viscido æque subsidente, sed etiam parietibus vasorum, imprimis ibi ubi motus sanguinis retardatur, atque fibrarum gravitas specifica major est, cohærere. (vid. §. XI. & X)

§. XIX.

Posito ergo in uno alteroque renum vase, hoc modo stasin materiæ calculosæ factam fuisse, non solum ob angustationem vasorum, in quibus hæret materia calculosa, reliquæ grossiores sanguinis particulæ, hæ transire haud poterunt, sed etiam, si transeunt, novæ tamen, ratione gravitatis specificæ his æquales, denuo adhærebunt, quæ adhæsiō tanto firmior erit, quantum sanguinis trans-euntis pressio atque ipsorum vasorum perpetua reactio istam sustentat, seu auget.

§. XX.

Cum vero renum vasa, inprimis ibi, ubi secretoria oriuntur, sint deorsum flexa, ob hanc structuram tam ex pondere, quam etiam ex pressione sanguinis, talis denique materia calculosa, una cum humido secreto descendet in pelvim, ibique pro temporis ratione commorans, successive magnitudinem atque duritiem acquirere majorem, a particulis ejusmodi generis, quæ ob contactum immediatum ex fluido præterfluente adhærent,

B

quous-

quousque vel magnitudine, vel ex pondere, vel etiam ex acrimonia & figura irregulari renum nervos sensibilibiter afficere, atque hoc modo graviora symptomata inducere valet.

§. XXI.

Nervositates cum primis in paroxysmo calculi renalis maxime corripitur, non solum proxima renum symptomata, sed potissimum ea, quæ ex consensu nervorum se manifestant, uberrime testantur. Proveniunt vero renum nervi, ex paris intercostalis, plexu meseraico superiori, ex qua compositione omnia calculi renalis symptomata concipi possunt. *vid. Willis. anat. cerebri Cap. XI.*

§. XXII.

In praxi porro quotidiana experimur, motum ipsius sanguinis notabiliter impetuose versus ista loca profluere, ubi irritatio a corpore quodam acri irritante est. Cum vero experientia teste, dolorosa a calculo renum irritatio tamdiu perdurare soleat, quamdiu iste ipse in renibus atque ureteribus commoratur, etiam affluxus sanguinis justo major versus renes & loca vicina tamdiu perdurabit, usque dum infarctus vasorum atque stases hinc inde in vasis minimis ortæ, ulteriorem sanguinis influxum prohibeant. Ne dicam, ab eadem nimia vasorum expansione, vasa, urinam secernentia,

mentia, infra magis posita, comprimi, atque sic legitimam urinæ secretionem impediri,

§. XXIII.

Ut vero ex modo dictis (§. XXII.) symptomatibus proveniens inflammatio atque subsequens sphacelatio renum præcaveatur, non solum medicamentis temperantibus, antispasmodicis, decoctis lenientibus &c. Sed inprimis Venæsectione opus est. Efficitur enim per Venæsectionem rite institutam, non solum, ut sanguis tardius moveatur, sed etiam omnia reliqua symptomata, quæ ex motu sanguinis fortiori, expansione vasorum nimia & calore aucto concipi possunt, minimum ad certum temporis gradum plenario cessant.

§. XXIV.

Per Venæsectionem rite institutam, intelligo tantam sanguinis educationem, ut a remanente vasa quidem expandi, minime vero ad maiorem justo constrictionem stimulari possint. Cum vero teste experientia, ratione temperiei in diversis subjectis diversa sit proportio & quantitas massæ sanguineæ; etiam secundum hanc venæsectio erit instituenda, si alias levamen exinde oriri, speremus.

§. XXV.

Posito ergo plethoricum quendam verum paroxysmis calculi renalis vexari: Venæsectio ad

paucas uncias instituta, omnia symptomata, in isto subjecto reperiunda augebit. (vid. §. VI. & XXII.) Sin vero ad decem uncias celebratur, promptissimum levamen ægrotantis expectare sæpe licebit: Uti id ante aliquot menses in subjecto plethorico spurio, ex calculo renum vehementer laborante, in solatium & ægrotantis & mei ipsius expertus sum; ne dicam, medicamentorum operationem mirabiliter hoc modo facilitari.

§. XXVI.

Hæc observatio, in veritate facti fundata, præcipue statum plethoricum ægrorum calculosorum concernit, qui sub cruciatibus suis facilius inflammatoriis & febrilibus motibus affliguntur, unde tota nephriticæ tragœdiæ molestia exacerbatur, magisque pertinax atque periculosa redditur, siquidem turgidioris ac plenioris sanguinis vehemens commotio congestoria ad & intra renes facta, omnia morbosa pathemata, ad nephriticum schema spectantia, exacerbatur: hoc in statu naturali indicatione Venæsectio, curatorio etiam scopo instituta, eximiam atque præsentaneam opem promittit & actu conciliat.

§. XXVII.

Quando porro ad calculosæ nephritidis paroxysmum in subjectis calidioris temperamenti & sanguine admodum fluido præditis prægressa exæstuan-

stuantium ingestio, intensior corporis & præcipue sanguinis commotio, animi pathemata impetuosa primariam occasionem dederunt, ut exin intensior sanguinis expansio, fortior hujus ad renes affluxio, spasmos in renibus & reliqua connexa mala valde excitaverint, tunc tempestitiva inquieti hujus sanguinis ventilatio, sub aliorum congruorum auxiliorum connubio, æque eximiam salubritatem post se trahit, cujus salutaris effectus æque considerata digna exempla, testimonii loco adduci possent.

§. XXVIII.

Si paroxysmus nephriticus cum anomalo hæmorrhoidali motu cohæret, quod non raro contingere solet, dum a locis sedalibus ad renes congestorii motus transeunt, insuperque reliquus sanguinis motus valde irregularis est, unde totus calculosus affectus admodum vehemens redditur, tunc sub iusta methodo Venæsectio, curatoria etiam scopo instituta, haud exiguam præstitit utilitatem: id quod etiam expectandum erit, si in fœminis calidioris temperamenti ob Mensium turbas & Hæmorrhoidalium motuum incongruos concursus calculosus status originem traxit, in quibus paroxysmi nephritici una motus hystericos & hæmorrhoidales in consortium trahunt, ut eapropter necessitas aliquando postulet curatoria destinatione Venæsectionem ordinare: Hæc sunt observatio-

num medicarum nonnulla momenta & speciminar, quæ thema propositum aliquatenus confirmant & illustrant: & dum brevitati studere circumstantiæ requirunt, ita succincta hac tractatione, quod reliquum est, benevolæ meditationi aliorum relinquo, & subinde præsentem laborem divinæ benedictioni commendo.

